

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 23, circa 2, quaestio 1. (fol. 28vb)

Utrum Adam in statu primo habuerit omnium cognitionem?

Primo quaeritur, utrum Adam in statu primo habuerit omnium cognitionem?
Et videtur quod sic, quia nullus potest recte nominare res et debito modo nomina imponere, nisi cognoscat. Sed Adam omnibus rebus nomina imposuit, ergo omnia cognovit.

Item, de moralibus nullus potest alios instruere, nisi sit ipse actu talis quales alios habet facere. Sed Adam debebat omnes instruere et regere. Unde quia non rexit uxorem, peccavit, ergo etc.

Contra, si scivisset cognitionem omnium rerum, non oportuisset quod Deus aduisset omnia animalia ante eum, sicut fecit, ergo illa non cognovit. Non enim incepisset Deus aliquid facere frustra.

Item, quod non de moralibus, quia si scivisset, iam casum suum et occisionem filii sui scivisset, quod esse non poterat sine poena et dolore, quae stare non possunt cum innocentia.

Respondeo, dicendum, quod duplex est positio de ista quaestione. Nam Hugo, *De sacramentis liber I parte VI*,² dicit et Magister

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 23, c. 2, q. 1, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Hugo de Sancto Victore, *De sacramentis christianae fidei* lib. 1, pars. 6, cap. 12.

ponit in littera, quod Adam fuerit praeditus triplici cognitione, scilicet eorum quae ad Deum, et eorum quae spectant ad se ipsum, et eorum quae ad mundum. Et dicit, quod non per studium et intervalla temporum, sed simul et semel ipsam accipiendo. Et movetur illis duabus rationibus factis ad istam partem. Et multi sunt sequentes istius positionis exponentes tamen eam sic. Quia proficere potest quis in cognitione tripliciter, quia a parte scibilium, quia scit plura, aut a parte modorum sciendi, aut a parte habilitatis in cognoscendo. Hiis dictis dicunt, quod ea, quae fiunt cursu naturali, omnia scivit Adam, nec potuit proficere respectu scibilium in cognitione, sed bene respectu modorum et habilitatis. Ea vero, quae fiunt cursu voluntario et mirabili, non sciuntur nisi per revelationem. Et ideo potuit quo ad ista proficere tripliciter, ut dictum est, scilicet quo ad Numerum, et modi, et habitus.

Alii vero dicunt, quod non sic est, sed dicunt, quod scientia sive cognitio potest accipi dupliciter, quia aut secundum facilitatem cognoscendi et videndi, quo modo dicit Augustinus, *X De trinitate*,³ quod mens semper habet sui notitiam. Aut secundum actualem informationem memoriae per species rerum, sicut dicit Augustinus, *XI De trinitate*,⁴ mens rerum corporearum notitiam per sensus corporis colligit, incorporeorum autem per semetipsam. Primo igitur modo habuit, ut dicunt, Adam ab instanti suae productionis(?) omnem cognitionem rerum. Secundo modo non habuit, sed erat postea acquisiturus tam per naturam quam per gratiam et per sensuum experientiam. Unde et talis fuit cognitio quam habuit de nominibus rerum, quando eis nomina imposuit.

Ad primum argumentum, dicendum, quod non oportet, quod qui vult imponere nomina rebus, quod propter hoc sciat omnia propria illius rei, quia frequenter magis nominantur a proprietate accidentali quam essentiali, sicut fuit hic. Unde vocavit uxorem virago, quia de viro sumpta est, quae nec est essentialis proprietas, nec convertitur mulier cum summi(?) de viro.

Ad secundum, dicendum, quod licet esset constitutus ad regendum mundum, non tamen oportet, quod propter hoc omnia in particulari cognosceret, sed sufficit quod haberet prom<p>titudinem cum naturali industria.

³ Augustinus, *De trinitate* lib. 10.

⁴ Augustinus, *De trinitate* lib. 9, cap. 3.